



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 57. Censura libri Mirabilis a Facultate Parisiensi pronuntiata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.

§. LVII.

A. C. 1565.

*Censura libri Mirabilis a Facultate  
Parisiensi pronuntiata.**Argentre  
Collect. Jud.  
de nov er-  
ror. tom. 2.  
p. 390.*

Hoc anno die prima Februarii Facultas Theologica Parisiensis librum damnabat, cui titulus: *Liber mirabilis paucis continens florem, ac summam plurimum tractatum tam de Prophetiis, & revelationibus, quam de veteribus Chronicis.* Hoc opusculum ex Thibaldi Bessolti prælo Parisiis cum ejusdem Theologicæ Facultatis approbatione in lucem prodibat, aut saltem ita prodisse libri titulus præsefererat, imo additum quoque legebatur, quod a pluribus hujus facultatis Doctoribus non modo hic liber perlectus, sed & correctus fuerit: verum sive demum hæc approbatio supposititia, sive illius examen ante approbationem duntaxat fugitivo oculo fuerit institutum, interim id certum constat, quod Facultas hunc librum omnino damnandum censuerit, ac declaraverit, quod *hic liber contineat passim propositiones multas ridiculas, falsas, erroneas, scandalosas, & quasdam hæreticas, hæreticisve omnis ferme generis hujus temporis conspirantes, & ad seditionem excitantes inter Hierarchicum ordinem, & civilem.* De cetero propositiones ibidem contentæ sigillatim non  
recen-

recensabantur, sed duntaxat hunc librum esse supprimendum pronuntiabatur. Sæcul. XVI.  
A.C. 1565.

## §. LVIII.

*Palinodia Patris Volantii Ordinis Fratrum Minorum.*

Ineunte Mense Majo cum Pater Franciscus Volant in Fratrum Minorum scholis Director præsideret actui vesperiarum, inter argumentandum edixit, Parvulos in fide parentum absque baptismo salvari: quam propositionem ut veram asserere visus fuerat post argumentationem, unde jussus est a sacro Ordine eandem die decima octava ejusdem Mensis revocare, quod etiam præstitit, estque illius palinodia his verbis concepta: *Delatus sum apud Dominos deputatos Sacratissimæ facultatis Matris mee a viris fide dignis, quod in actu quodam vesperiarum in hac nostra domo Franciscanorum, in qua præsidebam, inter argumentandum contra respondentem, cum intenderem probare parvulos in fide parentum, sine baptismo aque salvari, cumque postea multas auctoritates Doctorum ad eam rem adduxissem, tandem in fine argumenti mei hæc addidi, & verum est, ex quo verbo auditores juste scandalizati sunt: quasi attentassem affirmare, parvulos sine baptismo aque in sola fide parentum interdum salvari,*

*Argentre  
pag. 391.*